Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

commune autem nobis esset magnum et uberrimum prediu(m)
ipse deus. Perveni ad episcopatum. vidi necesse habere episcopum
exhibere humanitatem assiduam quibusdam venientibus
sive transeuntibus; quod si non fecisset episcopus inhumanus
diceretur. Si autem ista consuetudo in monasterio missa
esset indecens esset. Et volui habere in domo ista epis
copii mecum monasterium clericorum. Ecce quomodo vivi
mus. nulli licet in societate nostra habere aliquid
proprium. Sed forte aliqui habent. nulli licet. si qui ha
bent faciunt quod non licet. Bene autem sentio de fratribus
meis. et semper bene credens ab hac inquisitione dis
simulavi. quia et ista quaerere quasi male sentire
mihi videbatur. Noveram enim et novi omnes qui mecum vive
rent nosse propositum nostrum nosse legem vitae nostrae. Venit
ad nos et iam presbyter ianuarianus. quod videbatur ha
bere honeste erogando quasi consumpsit
et non consumpsit. remansit illi quaedam pecunia id est
argentum [quod] diceret suae filiae esse. Filia ipsius deo propi
tio in monasterio feminarum et bonae spei est. gubernet
illam dominus. ut impleat quod de illa speramus in illius misericordia
non in eius meritis. Et quia infra annos erat. et de sua
pecunia nichil facere poterat. quamvis enim videre
mus fulgorem professionis. tamen lubricum timuimus aeta
tis. Factum est ut ipsum argentum quasi puellae servaretur
ut cum ad legitimos venerit annos faceret inde quod
virginem Christi deceret quando optime iam facere posset.
Dum haec exspectantur. cepit ille morti appropinquare.
qui diu tamquam de suo iurans quia ipsius erat
non filiae testamentum fecit. Testamentum in quo fecit